Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0002-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0003-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0004-6

1607.

Antonius, Gotofredus: De restitutionibus in integrum.

1611.

Cammannus, Johannes: De extraordinariarum collatione

num regali: ubi de collectis, et earum speciebus.

1612.

Cammannus, Johannes: De regalibus minoribus, quae

ex bonis privatorum seu in singulorum dominia

descriptis fiscum sibi eorum vindicant?

1619.

Zachorius, Zachinus: De hypothesibus astronom:

in genere, et in specie de commutationibus.

1620.

1. Hamius, Helpricus Ulricus: De mercatoriis

dilationib.

2. Hamius, Helpricus Ulricus: De emtione et venditione

1620

3. Witzelius, Johannes: De testibus

4. Liebenthal, Christianus: De privilegiis studiosorum cumque, qui studiosis argumento et suet et inserunt.

1623.

1-5 Schenzerus, Balthasar: Num sponsis, ante solemnem in ecclesia copulationem et benedictionem, concumbentibus, publica poenitentia juste imponatur?
4 Exempl 1675, 1689, 1693 1720 i 1727.

6. Ritter, Georgius: De homagio subjectionis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0007-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0008-9

1619 4

CONTROVERSIARVM ASTRONOMICO-
Physicarum
DISPUTATIO SECUNDA,
De
HYPOTHESIBVS ASTRONOM:
in genere, & in specie de communioribus.
QUAM
D. T. O. M.
Ducente ac Docente
IN ILLVSTRI ACADEMIA GIESSENA
SUB
Præsidio
M. JOACHIMI ZA-
CHOVII WISMARIENSIS
MEGAPOLITANI
Ad diem 11. Martij
defendendam suscipiet
LAURENTIUS BAPST
Viennensis Austrius.

GIESSÆ
Typis exscribebat CASPARUS CHEMLINUS
ANNO cIↃ IↃ cXIX.

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO AC STRENUO Dn. GEORGIO GURTTNERO ab Eggenburg. Sac. Cæſ. Majeſt. Conſiliario, & Urbis Altenburgenſis in Ungaria Triceſimatori ſupremo, Promotori ac fautori ſuo nunquam non honorando.

Vt &

VIRIS

AVTHORITATE PRAESTANTISSIMIS ac integerrimis

Dn. Johanni Mayr. & Dn. Dieterico Wennig — *Civibus Reipub. Viennenſis primariis, illi parenti, huic v. affini ſuo plurimum obſervando.*

Hanc

Exercitationem Philoſophicam in debitæ obſervantiæ gratique animi τεκμήριον

D. & offert.

Laurentius Bapſt. Bz.

CONTROVERSIARVM ASTRONOMICO - PHYsicarum Disputatio.

DE HYPOTHESIBUS IN GENERE, ET IN SPECIE DE COMMUNIORIBUS.

Respond.

LAURENTIO BAPST AUSTRIO.

1. DIsputationis præcedentis *th.* 27. Astronomiæ principiis annumeravimus Hypotheses, quas vocant; illas igitur ut nunc intimius consideremus methodi & instituti nostri ratio postulat. Priusquã verò ad specialem earundem tractationem descendamus, inquirendum est, an etiam Hypothesibus Astronomia opus habeat, Et si opus habet, quales illæ esse, vel possint, vel debeant.

2. Quoad primum *Petrus Ramus* negativam defendit, uti videre est *lib.* 2. *Schol. Mathem. p.* 67. Cui assentitur Abrahamus Scultetus *lib.* 1. *Sphæric. c.* 2. *p.* 4. *&. Keckerm. lib.* 2. *de Loco & Locat. p.* 89. Et hanc suam sententiam *Ramus*, *Georgio Ioachimo Rhetico* perscripsit, ut constat ex literis ad *Rheticum*, à *Freigio* editis *& pag. alleg. l.* 2. *Schol. Mathem.* Deinde etiam *Tychoni Braheo* alteri Atlanti, eam Augustæ Vindelicorum proposuit, eundem hortatus, ut postquam per hypotheses syderum cursus in exactum ordinem redegisset, idem sine his tentare affectaret, ut de se ipso scribit *Tycho pag.* 60. *lib.* 1. *Epist. Astronom.*

3. Fundamentum a. ejus primarium quod extat

fuit hoc, quia viderat Chaldæos & Ægyptios habuisse Astronomiæ cognitionem facilimam, contrà verò eam, quę fit per hypotheses, (ut ille quidem putavit,) esse difficilimã & intricatam, censuit aliam commodiorem viam Chaldæis, quam nobis usitatam fuisse.

4. Quamvis a. *Rheticus* hypothesium Copernicearum fuit assertor acerrimus, ut ex ejus *narratione prima de libris Revolutionum Copernici* liquet, tamen ad partes *Rami* videtur transiliisse, cum ipse *lib. 2. Schol. Matth. pag. 63.* scribat, de Studio liberandi Astronomiam ab hypothesibus spem sibi factam esse à *Rhetico*. Et in responsoriâ ad *Ramum Rheticus* fatetur se, absolutis aliis, ad opus istud accessurum. *Tycho* verò ei restitit, ostendens sine hypothesibus φαινόμενα cœlestia nec in scientiam redigi, nec ut intelligantur excusari, posse. Existimat autem *Ramum* hac in re non penitus penetralia hujus scientiæ perspexisse, & æqualitatem recurrentem, (secundum quam sat convenientes hypotheses extrui possunt,) in motu syderum non attendisse.

5. Hoc proinde cum *Tychone p. 60. Epist. Astro. lib. 1.* Ramo opponimus fundamentum: Omnia constant numeris, ponderibus, & mensura, sine his etiam quicquam in mundo visibili explicari nequit. Hypotheses a. istæ nihil aliud, quam mensuram apparentis motus, per circulum aliasque figuras, ostendunt, quam deinde Arithmetica in numeros resolvit. Sine his igitur qui Astrorum motus intelligere & comprehendere annititur, incorpoream & plus quam Angelicam sibi imaginatur rationem.

6. Quæ verò objiciebatur facilitas cognitionis Ægyptiacæ, illa tantum in Æquatoriis Planetarum extitit, teste *Tychone loc. alleg.* Alias a. hypotheses, quæ assumuntur, ita comparatæ esse debent, non ut Astrorum motus tricis implicent, sed ut explicent, fundamentisque, ratio ni-

tionibus, demonſtrationib. Geometricis& Arithmeticis, quibus prima, media & ultima hic debent, ad amuſſim congruant.

7. Faceſſant igitur & iſti, qui præpoſteram humani ingenij rationem accuſant, quando in cœleſtium motuum demonſtrationibus ad præſidia aliena, (ut loquuntur,) Arithmetica & Geometrica, confugimus; quam ſententiam *Friſchlino* aſcribit *Caſmannus part.*1. *Aſtrol.cap.*6.*p.*323. A quo tamen ne latum unguem ipſe diſcedit, quando paulo poſt *p.*324. Aſtronomos, hypotheſes ex aliis ſcientiis deſumẽtes, ſugillat, quaſi terrena cœleſtibus, (ſunt ejus verba,) humana divinis, reperta noſtræ mentis opificio Dei admiſceant, quamvis aliàs cum Ramo non faciat, *pag.*328. Aſtrol.

8. Naturam enim ſcientiarum ſubalternarum vel ignorant vel diſſimulant, quę in eo cõſiſtit, ut inferior, qualis eſt Aſtronomia, ex ſuperioribus ſua principia deſumat. Vnde & demonſtrationes proprias non habent teſte *Cl. Scheiblero lib.*1.*cap.*1.*Metaphyſ.n.*140. Error autem Caſmanni ex iſta procul dubio fluxit hypotheſi, quod putat Aſtronomiam eſſe partem Phyſicæ, adeoq; ſic Mathematica Phyſicis miſceri non poteſt non ſtatuere; quod refutavimus in præcedente diſputatione.

9. Quoad ſecundum, exiſtimant aliqui etiam falſas & ne quidẽ vero ſimilimas hypotheſes aſſumi poſſe, ſi modò, qui finis & ſcopus hypotheſium eſt, exactùm nobis ſuppeditent calculum, unde & illas definiunt, quod ſint commenta Aſtronomorum, quæ extra vel intra cœlum imaginamur. *Abrahamus Scultetus lib.* 2. *Sphæric.c.*18.*p.*100. *& lib.* 1.*c.*2.*p.*3.4.5. Quo effugio quidam *Copernici* hypotheſes, naturæ, (ut ipſi putant,) adverſantes excuſare conantur.

10. Verum egregia hæc eſſet, ex falſis abſurdis &

 impoſ-

impossibilibus assumptis, demonstrandi ratio; digna profecto iis, qui cum pultem attingere possent vas cum vulpecula lambunt, quam ipsis relinquimus, probe sciētes verum non nisi vero consonare, falsum autem à vero plus quā dissonare. Quando autem, quod impertinenter hic solet allegari, verum interdum ex falso sequitur, hoc per accidēs fieri norunt tyrones Logicæ, hoc autem de Astronomicis demonstrationibus dicere, est contumeliosum & ἄλογον. Copernicęq vero hypotheses per alias rationes satis superque defendi possunt, ut non opus sit ad falsitatis arcem cōfugere, quemadmodum id luculenter patet ex *Mysterio Cosmographico celeberrimi Mathematici Iohannis Kepleri, Et Narratione prim. Rhetici*, aliisque qui de his scripserunt.

11. Hoc tamen interim observandum esse putamus; Quasdam hypotheses (v.g. Circulorum) non esse eiusmodi in cœlo vel natura, cuismodi sunt in ipso globo depictæ, vel in Sphæra Armillari, effictæ. Nullus enim realis Zodiacus in cœlo, Nullus Æquator, Nullus Tropicus &c. fundamētum tamen ejus rei est in ipso cœlo, & illi sunt imagines rerum φύσει existētium, sine quibus motus affectiones declarare impossibile est. Quomodo enim quæso quantitatem motus diurni Solis, vel etiam dici alicujus artificialis ostendes sine Æquatore? quomodo motum Solis aliorumve Planetarum ab Æquatore declinantem sine Zodiaco? Circulus ideoque talis licet non sit in cœlo, motus tamen circularis est in eo, qui sine illius ope monstrari nequit; quemadmodum hoc scite in motu Sagittæ nervo impulsæ, & cursu nauis ab India Orientali per æquor in Hispaniam appellentis, deducit *Aslachus lib. 2. de nat. trip. cœl. cap. 21.*

12. Hæc de hypothesibus in genere prælibanda fuerunt, nunc ipsas, & quidem hac disputatione communiores seu generaliores, aggrediemur. Harum autem alij nume-

merant octo, *Michael Mæstlinus lib.* 1. *Epitom. Astron. part.* 3. *p.* 41. 42. alij quatuor, *Adrianus Metius lib.* 1. *Instit. Astron. c.* 2. *p.* 11. alij planè eas ad Physicos relegant *Scultetus p.* 2. *lib.* 1. *Sphæric.* Nos secuti Astronomos plerosque eas hic tractamus: Præterquam enim, quod fundamenti loco, cui apparẽtiæ, motuum superstruuntur, ponantur, controversias continent gravissimas. Reducimus autem illas ad has quatuor. Prima, de motu. Secunda, de figura cœli. Tertia, de figura terræ & aquæ. Quarta, de loco & motu terræ.

13. De motu tria solent explicari. 1. Quod motus in cœlo sit duplex. Primus, seu Communis, qui super Æquatoris, secundus seu Periodicus, qui fit super polos Signiferi. Quibus alij annumerant etiam motum, ut vocant, trepidationis de quo vide *Metium p.* 13. Clavium, in 1. *cap.* Sphæræ Joh. de S. Bosco. *p.* 54. *&* 63. Duplicem autem istum motum in cœlo deprehendi non dubitatur, de Subjecto verò horum motuum non levis inter Astronomos est controversia. Ptolemaici utrumque cœlo tanquam subjecto proprio asscribunt. Copernicus, & qui ipsum sequuntur, motum νυχθημέρινον terræ attribuunt, & motum stellarum periodicum cœlo relinquunt: Secundum hos igitur motus mundanus distribuendus esset in cœlestem & terrestrem. Nihilominus tamen commodè uterque cœlestis vocari potest, cum etiam ille qui terrę convenit, in cœlo observetur, & cœlestia de eo demonstrentur φαινόμενα.

14. 2. Quod motus iste sit circularis. De quo cum nemo, quod ego sciam, jam dubitet, pluribus hic opus non est. Si tamen Aristippum aliquem nactus fueris, ad cœlum ipsum deducito, & stellas præsertim polo viciniores nobisque semper apparentes, quę motu suo circulum exactè describunt, inspicere jubeto. 3. Quod motus iste sit æquabilis & regularis. Quæ propositio adeo certa est quibusdam, ut

inter Axiomata referatur teste *Mæstlino. Epit. Astron. lib.* 1. *p.* 56. Constat autem ejus certitudo ex statis temporibus, certis legibus ac periodis, quibus motus iste absolvitur, in specie de singulis planetis hoc ostendere non est hujus loci. Consule si libet de his Astronomos, quæ a. inæqualitas vel anomalia deprehenditur, illa tantum est respectu nostri, quam proinde Ptolomæus vocavit φαινομένην ἀνωμαλίαν & ἀνώμαλον φαντασίαν, & solummodo reperitur in partibus periodorum, integrę autē periodi sunt regulares. vide de hac anomalia egregiè differentem *Philippum Melanchtonem in præfatione Theoric. nov. Purbachij â Reinholdo edit; pag. mihi.* 18.

15. Ex dictis nunc facile deducitur *secunda hypothesis de figura cœli*; nam, præter illa, quæ de circulari cœli motu annotata sunt, quæcunque cœlo alia quam sphærica tribuitur figura, inæqualis unius ejusdemque stellæ distantia in motu diurno inducitur. Et præter *Basilium Lactantium* aliosque paucos nullus figuram aliam cœlo tribuit. Argumenta eorum ex Sacro codice allata refutata vide apud *Redemptum Baranzanum part.* 1. *Vranoscop. q.* 3. *dubitat.* 6. *p.* 99. Coniunge Anton. Ruvio. *lib.* 2. *de cœlo c.* 5. *q.* 1.

16. In *tertia* consideratur terra cum aqua conjuncta, ita tamen à provida natura distincta, ut commoda sedes animantium esse queat, de qua nunc inter saniores Philosophos non est controversia. De aquę rotunditatę in specie vide Clavium *pag.* 130. *& seq.* Esse autem istum globum terrenum, (secundum quosdam quod plus terræ quam aquæ habeat) rotundum, sic probari solet. Rotundus est secundum longitudinem, & rotundus est secundum latitudinem E. &c. Secundum illam; quia stella quæpiam oritur citius orientalibus, quam accidentalibus, & è

con-

contrario his tardius, quam illis occidit, quod non nisi propter tumorem aliquem fieri potest; ille autem tumor æquabilis est, quia in tempore istius ortus vel occasus differentia observata cum locorum distantia deprehenditur proportionalis. *Mæstlinus Epit. Astro. lib. 1. p. 65.* Secundum hanc; quia Borealiorib. major est elevatio poli quam Australioribus, ut constat. vide plura apud *Jacobum Milichium in comm. super 70. caput lib. 2. Plinij. p. 13. & seqq.* Clavium in S. Bosc. *p.* 124. *& seq.*

17. At inquis rotunditatem terrę asserere, est montes ex ea tollere. ℞ *Plinius lib. 2. de mundi historia cap.* 64. dicit hanc rotunditatem intelligi si capita montium linearum ambitu comprehendanur. Nos cum *Metio lib. 1. ca. 2. p.* 17. Eminentias istas & concavitates terræ, quamvis in se consideratæ ingentes videantur, collatione cum toto globo facta exiguas esse eiusque rotunditatem nihil impedire existimamus, quemadmodum hoc luculenter apparet in Ecclipsi Lunæ, in qua umbra Terræ exacte est rotunda, ut nil hiulci aut tumidi conspiciatur, simile quid habemus in Luna ipsa, quæ nobis exactam refert sphæram, cum tamen multæ in ea protuberantiæ, ut noviter, sed admodum eleganter demonstrat *Galilæus Galilæi Mathematicus Patavinus in Nuncio Sydereo p.* 12. *& seqq.* Hinc est quod dicant authores, terræ rotunditatem non Geometricè sed Geographicè examinandam esse.

18. Insignis sane hic globus flamma ferroque dividuus, & utut ejus umbra in ipsa Luna appareat, tantus tamen non est, ut ejus semidiameter in observationibus Planetarum superiorum parallaxin inferat, quemadmodum ad oculum demonstrant prolixæ observationes *Tychonis lib. 1. Phæn. 1. cap. 6.*

19. Quarta bimembris valde controversa est inter

Astro-

Aſtronomos recentiores, quæ cum non niſi ex cuiuslibet propriis hypotheſibus, de quibus in ſequentibus acturi ſumus, judicari poſſit, eò illam remittimus. Hoc unicum hic notamus, quoad locum terræ conſenſum eſſe inter Ptolemaicos, Tychonē: & Origanum, quietem autem non adeo improbabiliter ab Origano & aliis impugnari. Copernicum verò quoad ſitum & motum à reliquis diſſentire.

20. Hæc de hypotheſibus in Aſtronomicis ita diſputari ſolent. Ab aliis etiam additur diviſio totius mundi ex quâ ea, quę hoc ſeculo potiſſimum controverſa ſunt, excerpimus. Ab Ariſtotelicis enim in iſta diviſione ignis elementaris Sphæræ Lunæ ſubjicitur, eò potiſſimum argumento, quod ignem ſemper ſurſum tendere videant. Quæ Sententia Phyſicis & Opticis refellitur argumentis. Phyſicum Palmarium à motu, quo ſuam defendere ſentētiam ſatagunt Ariſtotelici, deſumptum eſt. Si ignis fertur ſurſum tāquam ad locum ſuum proprium, feretur eò naturaliter, ſi hoc E. ſecum omnia, quæ ei ſunt agglutinata, præſertim ſi fuerint leviora, & ignis validior, evehet, quod tamen experientia negat. Acuitur hoc argumentum ſi cogitemus quo modo aer, qui non eſt ęqualis activitatis cum igne, lignum, quod gravius prunis, ex loco alieno per mediam aquam, magis aeri elevanti, quam igni aer, reſiſtentem, ſecum ad locum proprium aeris evehit.

21. Et quodnam eius quæſo alimentum, ſine quo ignis ad momentum ſubſiſtere nequit? Sed ad Opticam, quę docet radios lucidi per ſe rectos occurſu medij diverſi, refringi. *Riſner. lib. 4. Opt. prop. prior b. Ambr. Rhodius lib. 2. Opt. prop. 10.* Si hoc, ergò nulla ſtella poteſt obſervari in ſuo loco, etiāſi accedat calculus Arithmeticus, ut in diſcurſu demōſtrabimus Vide hac de re. *Valeſiū in S. Philoloſoph. p. 29. & 30. Keplerū p. 6. in Diopt. Johan. Pœnam. Gall. Reg: Mathem. in præf. Optic. Riſner. & Tychonem paſſim.* FINIS.

VEXILLVM PHOEBEVM,

VOTIVA ANNAGRAMMATUM DECA-
designatum, & Ornatiss. & Doctiss. Respondenti

Dn. LAVRENTIO PAPAE,
benevoli fauoris ergò erectum.

LAURENTIUS PAPA.

APPLAUSU VRANIÆ. (*duplicato V pro T.*) Enitar Applausu
APPLAUSU NITÂRE. *VI* PLENÂ PARATUS.
APPLAUSU VIREANT. (*duplic. V.*) It apparẽs Lauru (*dupl. r.*)
EN LAUS APPARUIT. VALENS APPARUIT.
LEVANS APPARUIT. IN ARTE APPLAUSU.

Sic etiam Lauri semper vernantis honorem
Amplificare paras Laurenti, *nominis ortu,*
Applausu Uraniæ, *cuius nunc scita tueri*
Præside Zachovio, *conaris gnauiter ausu.*
Signa patent, signis Applausu Enitar *in istis*
Carbasa Phœbeo referunt super ausa, notatu.
Quin Nitâre *calens* Applausu, *taliter astrum*
Esse Deæ poteris, Vi Plenâ *bella* Paratus
Laudis inire notis, sine sanguine, qualia poscit
Aoniis cataphracta acies consueta sub armis.
Doctrinæ frameâ munitus viceris hostem;
Robur ab ingenio veniet, velut arte triumphus.
Applausu Vireant *tua munia numinis, almo*
Fœnoris auspicio, laurati germinis usu,
Quod Clario commune seni est, tibi tempora cingat,
Nomina cum lauro redimens cum numine nomen.

Rumor

Rumor It apparens Lauru *tunc perget ad aures.*
Hîc præclara tui vulgetur adorea cæpti,
Vt clariæ resonent En Laus Apparuit *auræ.*
Audiit hoc Pæon; si sic perrexerit, insit
Esse meum satagam, populus cui succinat olim:
Arte potens, medicisque Valens Apparuit *herbis,*
Præsidiis operâque Levans apparuit *ægris.*
Omnia conveniunt; Applausu *clarus* in arte
Surgere quo ualeas, uis est calidissima voti.

L. Jungermani T.

Med. D. Profess. & Botan. Ordinar.
Academiæ Giessenæ.



ULB Halle 3
005 030 471

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0021-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0022-6

1619 4

TRONOMICO-

CUNDA,

STRONOM:

nmunioribus.

I.

nte

A GIESSENA

MIZA-

RIENSIS

ANI

rtij

piet

BAPST

us.

Æ

CHEMLINUS

IX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-589246-p0023-2